

efficit. Nostri autem numeris erit eas diligenter cognoscere & ad  
vsum in vita accommodare, id quod citra Arithmetices admini-  
culum fieri non potest, ut idcirco non immerito ea, altera Astrono-  
mie ala à Platone sit appellata. Quæ enim solertibus artificum ob-  
servationibus longo tempore animaduersa & constituta, accedenti-  
busq; Geometricis demonstrationibus stabilita sunt, illa assumens  
Arithmetica tabulas ex his condit, motus cælestes, ad quæuis tem-  
porum momenta citra cæli aspectionem suppeditantes. Ut autem  
duæ sunt insigniores motuum in cælo differentie, secundum quas  
ipsa etiam Astronomia in duas partes dirimitur, videlicet, Motus  
primus qui  $\nu\chi\theta\eta\mu\epsilon\gamma\iota\nu\omicron\varsigma$  Græcis, est καὶ πρῶτη φορὰ, quo tota orbium  
cælestium compages intra 24. horas ab ortu versus occasum integrè  
reuoluitur, & secundus Motus, quo stellarum fixarum & erranti-  
um orbes primo motui renitentes, ab occasu in ortum feruntur: ita  
duplices etiam Canones sunt, motus hosce numeris definientes &  
ad temporum momenta quæuis accommodantes. Alij enim primum  
& simplicem extremi cæli motum explicant, ut tabulæ Ascensio-  
num seu Directionum vulgò appellatæ, Alij verò, certis quibusdam,  
quas altera Astronomie pars tradit, hypothesebus subnixi, stella-  
rum fixarum & errantium motus proprios numeris comprehensos  
proponunt. Et istius quidem alterius generis tabulæ diuersis tem-  
poribus à diuersis artificibus constructæ & supputatæ sunt plures.  
Pro ut enim ipsa motuum ratio temporis successu deprehensa est &  
constituta accuratior, ita tabulæ etiam exaratae subinde sunt abso-  
lutiores & perfectiores, quas tamen omnes, non tam exquisitiore  
hypotheseon, quibus innituntur ratione, quàm calculi certitudine &  
 $\alpha\kappa\rho\iota\sigma\tau\epsilon\iota\alpha$  superant, longoq; post se intervallo relinquunt, præsentis hæc  
cælestium motuum tabulæ, ab ERASMO REINHOLDO præ-  
stantissimo in hoc genere artifice elaboratæ. Vtræq; tabulæ cum  
hoc tempore non sine studiosorum incommodo desiderarentur, ut  
suo